DE LEGITIMO PARIENDI TEMPORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCL

PUBLICE DEFENDET

EBERHARDUS PETERS

BONNENSIS.

OPPONENTIBUS:

CAROL. WALTER, MED. ET CHIR. CAND.
FRANC. SIMROCK, MED. ET CHIR. CAND.
EBERH. IUNG, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

LITTERIS L. ANSCHELII.

MDCCCL.

VIRO ILLUSTRISSIMO

HERM. FRID. KILIAN

MED., CHIRURG. ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI OBSTETRICII BONNENSIS, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARUM SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

AC

SUMME VENERANDO

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De legitimo pariendi tempore.

Omni fere tempore hominum sententiae in eo divergebant, quod sit tempus graviditatis. Qua in re certum aliquid statuere, quanti sit momenti, antiquissimi iam medici cognoverant, quia intelligebant, quaestionem illam rem esse tum physiologicae scientiae certe non minimam, tum ad leges recte exercendas tuendasque iustitiamque colendam gravissimam eamque ipsam ob causam cum difficillimis societatis quaestionibus coniunctissimam. Iam sufficit monere, morum integritatem, virtutem et famam, pacem felicitatemque familiarem, vim legum, omnemque et dignitatis gradum et bonorum possessionem ex illius rei diiudicatione unice saepe pendere. Attamen non ita difficile esse credo, ex recentissimis experimentis observationibusque rectam statuere legem, quamquam leges priores minus congruunt, quum alii eo nitantur, ut certum, alii, ut incertum graviditatis tempus proponant. Sed quum nihil in natura sine certis legibus fiat, partus etiam certo quodam ac definito tempore edi necesse est, quod quidem non ita dicam, ut omnes foeminas per idem temporis spatium gravidas esse credam, nam graviditatis tempus ex uteri qualitate pendet, quam si cognoverimus, quando edatur partus, certitudine quadam praescire possumus. Neque enim tam arctas sibi fines posuit natura, ut omni utero parem dierum numerum foetus ferendus parique die edendus esset. Quod quum in aliis organis

non fiat, non est, cur ipso in utero ita se habeat. Inter omnes iam satis constat, quam varius sit pari aetate evolutionis gradus in singulis infantum organis. Alii enim quarto iam mense, alii ne octavo quidem dentiunt. Alii decimo iam mense, alii vigesimo demum mense verba aliqua dicere discunt. Sed ut redeam ad uterum, quis nescit interdum puellas esse, apud quas duodecimo iam anno menses fluant, dum apud alias hoc vigesimo anno nondum fit, etsi utraeque bona omnino valetudine fruantur. Simile quid animadvertimus etiam de tempore, quod etsi, ut in gignendi facultate, plerumque anno quadragesimo quinto fit, interdum tamen licuit observare, utramque et gignendi et concipiendi facultatem decem vel quindecim annos diutius mansisse.

Sed priusquam meam hic sententiam proferam, de qua iam antea illustrissimi in medicina viri disseruerunt quaeque multis observationibus probata est, ea narrabo, quae hac de re in scriptoribus veteribus invenimus, eaque hoc magis digna sunt, quum, quae enarrentur, viri scripserunt, qui egregiae erant doctrinae, accuratissima observandi facultate et diligentia excellebant, quorumque auctoritas tanta erat, ut leges, quae ad hanc rem spectabant, eorum consilio firmatae et constitutae sunt, quae plurimam partem ad nos pervenerunt et in rebus forensibus maximi sunt momenti. Tum physiologicas obstetriciasque observationes afferam et terminos ad graviditatem partumque pertinentes statuere conabor et deinde dicam, quantam vim hae observationes medico forensi habeant. Ita fit, ut hoc meum opusculum tres partes complectatur:

I. Partem historicam;

II. Partem physiologico-obstetriciam;

III. Partem forensem.

PARS PRIMA.

Inter veteres scriptores nonnullos invenimus, qui graviditatis tempus quadraginta hebdomades vel ducentos et octoginta dies, alios, qui novem aut decem menses aestimant. Mensium calculus perturbationem ideo fecit, quia quadraginta hebdomadum tempus aut novem mensium solarium semper differentiam quinque aut octo dierum praebuit. Novem enim menses solares ducentos septuaginta quinque dies habent, aut, si mensem Februarium inter eos numeras, ducentos septuaginta duos aut tres dies, qui triginta novem hebdomades efficiunt. Alius fons, qui rem confudit, inde originem duxit, quum apud scriptores nonnullos et quidem clarissimos menses solares et lunares sine discrimine adhibitos invenimus, quod apud Romanos in huius rei calculo contigisse videtur. Nam quamvis Romani, fastis a Iulio Caesare mutatis, maximam partem ex solis cursu anni fines definiebant, tamen omnino elucet, ut, si graviditatis rationem facerent, cuius tempus decem mensibus par erat, menses lunares intelligi voluerint, quum apud Ovidium (Fasti libr. V) legimus:

„Luna novum decies implerat cornibus orbem,
Quae fuerat virgo, credita mater erat.“

In libris sacris graviditatem decem quoque menses perdurantem invenimus. Nam in libro Sapientiae Salomonis ita legitur (C. VII, 1. 2.): Sum quidem et ego mortalsi

homo, similis omnibus et ex genere terreni illius, qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis et delectamento somni conveniente.“ Hippocrates tribus locis graviditatem ducentos et octoginta dies durare contendit. In libro „de septimestri partu“ C. V ita loquitur: „Qui enim in septem quadragenariis nascuntur, decimestres appellati, ob id maxime educantur, quod fortissimi sunt et plurimum a vulgarium puerorum tempore absunt, in quo affliguntur quadraginta aegrotantes diebus, circa octavum mensem.“ In libro „de octomestri partu“ C. I ita est: „Insuper et decimestres appellatos in septem quadragenariis dierum magis in lucem edi sentio et maxime contingere, ut educentur.“ Et ibidem C. VI: „Ex his igitur omnibus necessarium est, plerasque mulieres circa plenilunium et ultra in ventre concipere, ut ducenti et octoginta dies, saepe undecimum mensem apprehendere videantur, tot enim dies septem quadragenarios constituunt. Nam quum ultra plenilunium mulier concipit, necesse est, eum conceptum undecimum mensem attingere et apprehendere, quoad ultimum circuitum perveniat.“ His verbis idem scriptor repugnat in libro I „de Diaeta“ „Homini varium omnino nascendi tempus est, nec omnes in aequali temporis spatio foetus perficiuntur, alii citius, alii tardius nascuntur.“ Sed quamquam hi loci inter se differunt et pugnare videntur, tamen omni iure defendendi et tenendi sunt, praesertim quum Hippocrates, qui multas accuratasque observationes in foeminis gravidis instituerat, optime sciret, plurimas gravidas ducentos et octoginta dies post fluxum mensium parere; et feminae, in quibus haec animadverterat, eae erant, apud quas menses die vicesimo octavo fluerent. Tum quoque alias invenit, quae foetum die ducentesimo

septuagesimo aut ducentesimo nonagesimo ederent et apud has menses vicesimo septimo die aut vicesimo nono apparuere. Quum vero nondum expertus esset, quam quantamque vim menses in partu exercerent, sed maiorem foeminarum gravidarum die ducentesimo octogesimo, minorem autem partem ducentesimo septuagesimo aut ducentesimo nonagesimo aut forte alio die foetum in lucem edentes videret, in libro „de septimestri et octomestri partu“ contendere posse credidit, plurimas feminas die ducentesimo octogesimo post fluxum mensium liberos parere; partus, qui aliis diebus edebantur, quosque observandi ei rarius occasio data erat, eo eum adduxerunt, ut scribere coageretur, homini varium omnino nascendi tempus esse. Hippocratis auctoritas tanta erat, ut Aristotelem in historiis animalium libro VII c. 4. dicere moveret „Quum caetera animalia omnia singulari ac simplici modo partum suum perficiant, unum enim pariendi statutum omnibus est, homini uni multiplex datum fuit.“ Idem loquitur „De generatione animalium“ lib. IV. c. 4. „Caeteris animantibus statum et pariendi et foetum gerendi tempus est, homo toto anno et incerto gignitur spatio“. Plinius in historia naturali lib. VII c. 4 iisdem verbis utitur et dicere pergit „alius septimo mense, alius octavo et usque ad initia decimi undecimique.“ Conf. Plato „de diebus decretoriis“ lib. II. et Galenus „de re publica“ lib. V. Paulus Zacchias hominem certum graviditatis tempus habere putat, quod tamen paucis diebus aut horis includi non posse, sed parvam temporis differentiam permittere, quod autem interdum maior differentia esse videatur, quod aut in conceptionis die erremus, aut quia singulares res, quae in nonnullis feminis aegritudine aut praematurum aut serotinum partum adducant, non observemus. Harvey, qui calculum inde a novissima

menstruatione facit, ita loquitur: „Si luna decies circuitum perfecit, feminae pariunt et foetum edunt.“ Apud Io. Georg. Roederer [1]) ita legimus: „Partus naturalis et perfecti terminum constantem ponere arduum utique est atque anceps negotium, nemo etsi, noni mensis solaris finem ex consueto ordine graviditatem absolvere dubitat.“

1) Opuscula medica tom. I. pag. 31. »De temporum in graviditate et partu aestimatione.« Goettingae 1763.

PARS ALTERA.

Si paucas omittimus observationes, e quibus comperti sumus, conceptionem fortuita cohabitatione aut coitu semel tantum exercito secutam esse, non habemus, ex quo certum graviditatis initium cognoscere possimus, attamen graviditatis rationem statuere coacti sumus aut ex singularibus sensibus, qui proprio tempore a muliere animadvertuntur, aut ex mensibus cessatis, aut ex tempore, ubi gravida primas foetus motiones sensit. Quare evenit, ut scriptores varios, unde calculi initium fieret, graviditatis terminos statuerent, qui plus minusve famae adepti sunt.

Nonnulli graviditatem una cum cohabitatione incipere docent: Ita legimus apud Henke [1]): graviditatis regulam eam esse, ut inde a cohabitationis momento foetus in ducentorum octoginta dierum spatio ad eam perfectionem perveniat, ut a matre seiunctus vivere possit. Et Montgomery tres casus nobiscum communicat, qui graviditatis initium cum coitu concidere demonstrant, quum in his casibus ulla alia cohabitatio evenisse non potuerit, nisi una nocte et ita quidem, ut mulier prima die quinto mensis Aprilis conceperit et decimo die mensis Ianuarii pepererit; altera mulier sub finem mensis Octobris con-

1) Lehrbuch der gerichtlichen Medizin. 10. Aufl. Berlin 1841. pag. 71.

ceperit et quarto die mensis Augusti pepererit; tertia sexto aut septimo die mensis Augusti conceperit et decimo quarto die mensis Maii pepererit.

Alii ex fine mensium fluxus graviditatem incipere docent, inter quos Hippocrates sine dubio primum locum obtinet. Nam de octomestri partu ita loquitur: „Pluribus enim mulieribus necessarium est, in ventre concipere post menstrua purgamenta, ubi ab his absolutae fuerint; oportet igitur mulieri tempus dare mensis plerisque autem multo plures.“ Etiam Merrimann ab eodem die numerare incipit et ex centum quatuordecim partubus enumeratis novem forte die ducentesimo octogesimo editi sunt.

Alii autem, ex quo die menstrua purgamenta apparent, graviditatem incipere volunt. Cui sententiae assentiunt eamque probant hi praecipue: A. A. Berthold [1], F. B. Osiander [2]). Hic ita loquitur: „Die Rechnung von vierzig Wochen aber muss nicht von dem Tage der Schwängerung anfangen, sondern von dem Tage der zuletzt, vor dem Schwangerwerden ordentlich erschienenen Menstruation. Die Geburt ereignet sich alsdann mit der Zeit, wo das Monatliche, nachdem es neunmal ausgeblieben ist, nun zum zehnten Male wieder erscheint, und nun die zeitige Frucht mit ausstösst.“ Et cl. Kilian [3]) noster ita hac de re loquitur: „Der Anhaltepunkt aber, wonach die Dauer der Schwangerschaft berechnet, sind die folgenden: 1) der Tag der Conception mit gehöriger

1) Ueber das Gesetz der Schwangerschaftsdauer. Göttingen 1844.

2) Handbuch der Entbindungskunst. Tübingen 1819. pag. 337. §. 436.

3) Die Geburtslehre von Seiten der Kunst und Wissenschaft dargestellt. Frankfurt a. M. 1847. pag. 217. §. 206.

Rücksicht auf den zunächst gelegenen, entweder da gewesenen oder erwarteten Menstruationstermin. Nur in der hier erwähnten Verbindung kann der Empfängnisstag ein ziemlich sicheres Resultat liefern, denn es richtet sich die Dauer der Schwangerschaft nach dem Anfangstage derjenigen Menstruationsperiode, welche der Empfängniss am nächsten lag etc."

In hoc maxime mirandum est, plurimos scriptores, ex quovis die graviditatis calculi initium statuant, tamen ducentos octoginta dies sine ullo iure novem mensibus solaribus aut decem mensibus lunaribus exaequantur. Nam quum mensis solaris circiter triginta dies et decem et dimidiam horas complectatur, novem menses solares ducentos septuaginta quatuor tantum dies constituunt, dum vero decem menses lunares, si unum circiter viginti novem dies et duodecim horas continere putamus, ducentos nonaginta quinque dies efficiunt. Quod ad primam calculi methodum attinet, quae rarissime quidem evenit, sed interdum accidere potest, a multis ut falsa negligitur, et postquam calculum ex proxima menstruatione constitutum plurimis observationibus rectum probatumque invenimus, huic praecipue assentire coacti sumus.

Hac de re haec mea est sententia: Graviditas humana inde ab eo tempore originem ducit: quo menses fluere incipiunt, in quibus ovulum foecundatum ex ovario excedit, aut apud mulieres minime sanguinantes, quo fluere deberent. Menses mulieris comparare possumus cum animalium coeundi ardore. Animalia enim eo tantum tempore concipiunt, si coitum appetentes sunt, quumque natura, quod ad vitam sexualem attinet, et in hominibus et in animalibus easdem fere leges sequatur, menstrua purgamenta cum terminum habeamus necesse est, ex quo graviditatis initium fit. Quamquam iam antea

singulae exstitere observationes, e quibus elucet, menses cum ovulo Graaviano ex utero excedente congruere, saeculo iam praeterito medici nonnulli accuratius hoc observarunt. Inter alios Morgagni praecipue in puella non gravida ovulum, quod ovarium modo reliquisset, se vidisse narrat. Talium observationum numerus nostra aetate accrevit, atque Bischoff, qui iam antea in femina sanguinante, quae mortem sibi consciverat, paulo postquam menses fluere inceperant, ovulum Graavianum, quod ovarium reliquerat, invenit, hac in re maximam curam diligentiamque posuit simulque demonstravit, ovula, quae periodice ad maturitatem perveniunt, et deinde solvuntur, quum in mammalibus tum in hominibus a foecundatione minime pendere. Attamen experientia contrarium saepe nos edocet, quum interdum etiam in muliere vehementissime sanguinante ovulum in ovario non solvatur, etsi dubitari non potest, quin etiam alia, ac mensium irritamenta, exempli gratia, cohabitationes, efficere possint, ut ovulum expellatur, quare saepius accidit, ut conceptio cum cohabitatione congruat, et sententia modo narrata, graviditatem ex cohabitationis die incipere, interdum verissima appareat. Si igitur ovula Graaviana ovarium reliquerunt, sensim sensimque per tubas Fallopii proficiscuntur et paullatim ad maiorem perfectionem perveniunt, id, quod semper, etsi non foecundata sunt, fieri solet. Quae ovula, si Bischoffium sequimur, id, quod verisimillimum est etiam post plures dies coitu foecundari possunt, cuius rei argumentum non minimum illud est, quod mulieres iam longum tempus post purgamenta menstrua concipere possunt, maximaque foecundationum pars post mensium fluxum fit, eo igitur tempore, quo ovula ante plures iam dies ovaria reliquerant. Si igitur ovulis non foecundatis, dum transeunt per tubas ad uterum, mutandi

sese et nutriendi vis non inesset, perire, putrefieri eamque ob causam conceptionem nonnullos dies post mensium fluxum impedire necesse esset. Ovuli nutritio, quae antea in corpore luteo fuit, in tuba Fallopii mensium fluxu efficitur. At non solum ut ovulum nutriatur, mensium est negotium, sed etiam menses eo spectant, ut congestio ad vasa uteri partiumque adiacentium fiat, qua tubarum turgescentia et amplificatio adducantur. Hae enim hac re idoneae fiunt ad complectenda ovaria et ovula procedentia fimbriis excipienda.

Menses autem sanguinare non necesse esse, animadvertimus, quum ex animalibus coitum appetentibus, tum ex mulierum ovulis, quae, quamvis nunquam menses sanguilenti in iis apparuerint, foetum tamen producere queant.

Ex his igitur omnibus elucet, mensium esse negotium, materiam ad nutriendum et perficiendum ovulum Graavianum aptissimam praebere atque recipere. Quum denique ex permultis observationibus constet, quarum plures in animalibus, nonnullae in hominibus institutae sunt, semen virile longius per tempus in genitalibus muliebribus reservari posse, sequitur, coitu foecundationem ovuli effici posse, etiam si hoc tempore ovulum ab ovario non iam solutum sit, dummodo egressus intra id temporis spatium fit, quum spermatozoa vivunt, id, quod apud eas mulieres videmus, in quibus foecundationes ante mensium fluxum exstiterint. Atque ita Montgomery tres observationes enarrat, in quibus mulieres octo dies antequam menses apparuere, foecundatae sunt, quum incredibile videatur, ovula ante tres hebdomades priorum mensium ex ovario egressa adfuisse et ad conceptionem idonea fuisse. Ex his igitur elucet, semen virile secundum tempus, quo plus minusve, postquam ovulum solutum

sit, foecundatio existat, in ovulum plus minusve formatum incidere.

Quod igitur ad tempus evolutionis sequentis attinet, non discrimen est, num ovulum, si ovarium reliquerit, minus formatum, an plures per dies in tubis magis excultum sit, an in ipso utero foecundetur, cum in hoc usque ad seminis accessum suas iam evolutiones fecerit, quas illic adhuc facere necesse est.

De partu incipiente.

Quamvis diversissimae sint sententiae de graviditatis initio, tamen plurimi scriptores in eo consentiunt, ut partum maxima ex parte die ducentesimo octogesimo graviditatis edi doceant. Hoc temporis spatium plerumque verissimum exstitit, quum apud mulieres plurimas menses die vicesimo octavo appareant et partus cum decimo mensium fluxu conveniat. Cui rationi quamquam omnes fere consenserunt, tamen hac nostra aetate A. A. Berthold hanc rem reiicere et demonstrare conatus est, partum cum decima menstruatione non congruere, sed cum partus diem esse contendit, quo uterus ad decimum mensium fluxum sese praeparare inciperet. Ad quam opinionem adductus est, quia menses vicesimo nono aut tricesimo die fluere credidit, ideoque partum non decimo mensium fluxu, itaque non die ducentesimo nonagesimo aut tricentesimo, sed decem aut viginti dies prius accidere invenit, quare partum cum uteri ad decimam menstruationem praeparatione conveniendum esse credidit. Menses vigesimo octavo die plerumque fluere omnes fere scriptores observarunt, et Cederschjöld sententiam antiquissimam probavit, quum abundantissimis observationibus

instructus normalem mensium typum eum esse contendit, secundum quem menstruatio die vicesimo octavo appareat eamque ob rem legem ita statuit, ut partus semper decimo mensium fluxu post foecundationem ederetur et graviditatis tempus a menstruationis typo feminae penderet. Idem iam antea ab aliis observatum est, quare haec sententia semper in iis mulieribus valere dicebatur, quarnm menses regulariter die vicesimo octavo fluerent, num autem haec lex etiam in iis mulieribus valeret, quarum menses alio die ac vicesimo octavo apparerent, aut si non valeret, quae alia lex statuenda sit, non dixerunt. Mensium periodum plerumque viginti octo dies complecti, hae observationes probare possint. Murphy quingentarum nonaginta sex mulierum quadringentas nonaginta sex invenit, in quibus menses die vicesimo octavo, unam, in qua tricesimo, nullam, in qua vigesimo nono fluebant. Schweig ex quingentis observationibus typum medium viginti septem dies et dimidium esse invenit. Brierre de Boismont [1]) menses frequentissime nonnullos dies antequam mensis solaris ad finem veniret, redire observavit, ita ut tempus medium 27,8 diebus adaequaret. Valentin menstrua purgamenta in plurimis mulieribus viginti octo dies post initium menstruationis praeteriti redire solere contendit. Ipse feminarum menses eodem die, quo primae, hebdomadis quartae redire saepius observavi.

Hoc novissimo tempore observationes de normali partus initio accumulatae sunt, et scriptores statuerunt decimam menstruationem hunc terminum esse. Quare

1) Göschen, Jahresbericht 1842. S. 577.

2) Lehrbuch der Physiologie des Menschen. Braunschweig 1850. II. Bd. III. Abth. pag. 36.

Mende [1]) ita hac de re loquitur: „Um den 280. Tag tritt die natürliche Geburt ein, und das Kind heisst ein ausgetragenes und reifes. Der wiederkehrende Menstruationsreiz ist nach meiner Beobachtung der wahre Grund. Ganz richtig ist es daher, dass die Geburt gewöhnlich eintritt, wenn die Menstruation zum zehnten Male nach ihrem ersten Ausbleiben sonst würde erschienen sein. Ich habe vielfach beobachtet, dass Schwangere, wenn sie sonst ihr Monatliches würden bekommen haben, ein Ziehen im Leibe verspürt und dass Missfälle und Frühgeburten sich vorzugsweise zur Zeit des sonstigen Eintritts der Menstruation ereigneten, etwas das allerdings die grösste Aufmerksamkeit verdient. Da aber der ganze weibliche Organismus auf den Uterus Einfluss haben kann, so muss natürlich auch die Geburt bald ein wenig früher, bald ein wenig später eintreten können, ohne Nachtheil für Mutter oder Kind." In „Lehrbuch der Geburtskunde für Hebammen des preussischen Staats" [2]) ita legimus: „Die Schwangerschaft ist ein Stellvertreter für einen neunmaligen Monatsfluss; ein Stellvertreter bleibt aber so lange Herr, bis der frühere Herr wiederkehrt. Wenn dem aber so ist, so tritt die Geburt regelmässig dann ein, wenn die zehnte Regel wiederkehren müsste, und nicht gerade, wenn die Frucht vierzig Wochen alt geworden ist." Carus [3]), quod ad tempus partus legitimi attinet, docet, plerumque eum quadraginta hebdomades aut ducentos octoginta dies aut decem menses lunares esse, quas novem mensibus solaribus circiter

1) Ausführliches Handbuch der gerichtlichen Medizin. Th. II. pag. 303 etc.
2) Berlin 1840. pag. 91.
3) Lehrbuch der Gynäcologie. Leipzig 1820. Th. II. pag. 12.

adaequare. Sed notatu dignum esse, a mensium typo dependere, quamdiu graviditas maneat, mensiumque typum decies redire necesse esse ad perficiendum graviditatis tempus. Ceterum temporis spatium non tam constans esse, quin maiores aberrationes facile existere possint. Et quamquam Carus mensium fluxus decies reïteretur necesse esse affirmat, ut partus tempore legitimo edatur, tamen statuere ei in mentem non venit, alium menstruationis typum legi eidem subiectum esse, quam Cederschjöld primus constituit. Nimirum mirabile videtur, menstruationis typum, qui iam diu ab omnibus fere scriptoribus graviditatis modus habebatur, in iis solum casibus adhibitum esse, in quibus menstruationis typus viginti octo dies, et non in iis, in quibus viginti septem aut triginta dies aut alium dierum numerum complectebatur. Natura enim quum in omnibus rebus generales leges sequatur, in his quoque viam rationemque rectam persequatur.

Partum omnino cum menstruatione aliqua congruere, ex variis rebus intelligi potest. In multis animalibus partum cum ardoris tempore coniunctum esse videmus, ut in cuniculis, leporibus, muribus, aliis. Sicuti in horum animalium genere partum edi videmus post unam ardoris periodum, ita alia inveniuntur, in quibus graviditas per plures ardoris periodos perdurat. Apud equam scimus, graviditatem quaterdecies diutius manere, quam ardoris periodum. Vacca die vicesimo secundo coitum appetit et partum edit, quum haec periodus terdecies rediit, die igitur ducentesimo octogesimo sexto. Quam ob rem ex analogia partum hominis menstruatione aliqua eaque decima finem assequi concludere possumus.

Cederschjöld casum memoratu dignissimum enarrat, in qua cum menstruationis typo etiam graviditatis tempus diminuebatur.

Tum aliud argumentum exstat, quod hominum partum cum menstruatione conguere docet, omnemque dubitationem tollit: est enim ea observatio, menstruationem sequentem, nisi mammas praebendo aut alio modo prohibeatur, secundum typum priorem redire. Observatum est saepius, menses eo termino redire, quo etiam apparuissent, nisi graviditate et partu repressae fuissent, sive ex proxima menstruatione initium graviditatis designante, sive ex partu numerare velis.

Praeterea facile intelligi potest, lochia sanguinea decimam menstruationem significare posse, quamquam haec nihil aliud esse affirmare nolim.

Porro partum cum menstruatione congruere experientia nos edocet, quia partus tempore ovula matura in ovariis inveniuntur, et ita quidem, ut in menstruatione incipiente observantur. Quamquam eiusmodi observationes nobis rarissime occurrunt, nonnullae tamen exstant, quae hoc probare possunt. Inter alios casus hunc a Wepfer narratum referam, qui de muliere agit, quae in infanticidio deprehensa, puerperio perfecto morte multata est. „In testiculo, inquit, dextro rimam longitudine unguis parvi digiti, latitudine dorsi cultri mediocris, in ambitu rubentem inveni, labris diductis, scrobiculum fere pisi capace praeditum, intus quoque rubentem, similem neque in hoc neque in sinistro testiculo.“ Si consideras, sub voce „puerperio perfecto“ nihil aliud posse intelligi, nisi parricidam quatuor aut quinque hebdomades postquam peperat, morte multatam esse, et orificium, ex quo ovulum exiit, quodque omnino paucos tantum dies manet, recentissimum fuisse, concludendum est, ovulum eodem die, quo mors secuta sit, aut unum vel duos dies ante egressum esse. Illud igitur corpus luteum id est, quod prima menstruatione post partum ortum est, ex quo con-

cludere possumus, menstruatione priòre, i. e. ante hebdomades quatuor partum evenisse.

Aliud argumentum, partum cum menstruatione congruere illud est, quod abortus, partus aut praematurus aut serotinus, eo tempore plerumque accidit, quo menses, nisi mulier gravida esset, fluerent.

Praeterea saepius observatum est, nonae iam menstruationis tempore die ducentesimo quinquagesimo secundo aut sexto dolores apparuisse, qui partum post mensem unum die ducentesimo octogesimo accidentem, certo indixerunt.

Si igitur mulieres, in quibus menses die vigesimo octavo fluunt, decimae menstruationis tempore foetum edunt, haec sententia in iis etiam mulieribus adhiberi poterit, quae alium menstruationis typum regularem habent. Nunquam quidem aut diem aut horam statuere possmus, quo uterus foetum edat. Multae enim sunt causae, quibus partus aut acceleretur aut retardetur, ut afferam exemplum, saepe in primiparis videmus, quia utero earum maior irritabilitas inest, quam multipararum, in quibus uterus partubus pluribus inertior factus est, nonnullos dies ante tempus legitimum parere. Alia causa, omnibus nota illa est, mulieres partum hebdomade quadragesima, postquam graviditas incepit, expectare. Feminae omnes et praecipue primaparae ob instantem partum anxietatetet sollicitudine vexantur, quae maxime augentur, si parus die expectato non evenit. Variae animi conditiones iam diu causae partus immaturi ab omnibus habentur. Idem in multis aliis corporis humani casibus animadvertimus, ut exemplum afferam, si de alvi et urinae excretione cogitas, tum hae accidere solent.

Quam vera sit sententia, partus tempus e menstruationis typo dependere, nonnullis observationibus iisque

novissimis illustrabo. Apud Henke [1]) plures casus invenimus. Primus de muliere agit, cuius menses unum vel duos dies post hebdomadem quartam apparuere; foetum mulier peperit die ducentesimo nonagesimo septimo graviditatis. In hac muliere die tricesimo menses fluere incepere, et die nonagesimo post partum menstruatio denuo apparuit. In graviditate eiusdem mulieris altera trecenti dies praeterierant, et in foetu signa partus serotini non inventa sunt. Casus tertius de muliere agit, quae partum die ducentesimo octogesimo septimo edidit, cuiusque menses die vicesimo nono apparuere credidimus, id quod iam probabatur eo, quod menstruatio die octogesimo octavo post partum fluere incipiebant. Eadem mulier denuo peperit die ducentesimo octogesimo octavo et signa partus serotini in foetu observari non potuere. In casu primo partus diebus duobus ante diem legitimum magno terrore acciderat, in altero femina nimis occupata fuit, quum maritus et tres liberi typho laborarent et ipsa sola domus officia exsequi coacta esset.

Nunc superest, ut loquar de mulieribus iis, quarum mensium periodi irregulares, et de iis, quae gravidae fiunt, quamvis menses antea nunquam apparuere. Quod ad menses irregulares attinet, apud scriptores observationes invenimus, in quibus menstruatio graviditate ad normam redigebatur, et apud Göschen [2]) viginti quinque observationes narratae sunt, in quibus menses ante nuptias irregulares erant, quarum quatuordecim post nuptias regulares factae sunt. Berthold [3]) observationem octa-

1) Zeitschrift für Staatsarzneiwissenschaft. I. Vierteljahr 1849. pag. 92.

2) Mediz. Jahrbücher 1842.

3) Das Gesetz der Schwangerschaftsdauer. Göttingen 1844.

vam affert, in qua menses graviditate regulati sunt. Tum quisque artis medicinae imperitus bene hoc scit, eamque ob causam virginibus, quarum menses irregulares sint, connubium inire suadet. Quod ad mulieres attinet, quae gravidae fiunt, apud quas autem nunquam antea fluxere menses, observationes multae memoratu dignissimae exstant. Morgagni [1]) hanc observationem narrat: „Novimus generosissimam virginem, in earum, quas modo indicavimus, numerum referendam, quae nupta antequam menses, annos aliquot exspectati, apparerent, foecundissima tamen fuit, utique id minus miraremur eadem prorsus eius quoque matre contigerant.“ Io. Pet. Frank [2]) ita refert: „Mulierem adeo trium iam prolium matrem felicem, quin unquam aut menstrua aut lochia passa fuisset, in clinico Ticinensi instituto curavimus, tresve alias tractavimus uxores, quae lochia quidem, ut aliae, a partu repetito, catamenia tamen ipsa, nunquam excreverant.“ F. W. Montgomery [3]) hunc casum communicat: „Ego habui amicam laudabiiis temparamenti et complexionis, quae octo filios tulit consequenter, id est, omni anno unum, nunquam tamen visa est una gutta sanguinis menstrui.“ Capuron [4]) plures causus enarrat de mulieribus, quae, quamquam nondum menstrua expertae erant, nihilominus conceperunt, cuius rei defensor Foderé[5])

---

1) De causis et sedibus morborum, epistola XLVII. 3.

2) De curandis hominum morbis, Amennorrhoea, libri VI de retentionibus. Pars III. Wien 1821. pag. 14. §. 863.

3) Die Lehre von den Zeichen, Erscheinungen und der Dauer der Schwangerschaft. Cap. III.

4) Med. leg. relat. à l'accouchement etc. pag. 96—97.

5) »J'ai eu occasion de m'assurer complètement de ce fait« tom. I. pag. 395.

existit. Sir E. Home [1]) mulieris cuiusdam mentionem facit, quae nupta, antequam septendecim annos nata erat, cuiusque menses nondum apparuerant. Paullo post gravida erat et quatuor mensibus ex partu praeteritis, denuo gravidata est, et postquam tres ediderat partus, prima menstrua fluxere, quae pluries apparuere, donec denuo praegnans erat.

Ex his igitur omnibus sequitur:

I. Mulieres omni tempore foecundari posse, praesertim autem post cessationem mensium et graviditatem tum incipere, quum ovulum ex ovario excedat;

II. Partum tum editum iri, quum decima mestruatio inter graviditatem cessata, speranda est;

III. Ex mensium regularium typo concludere nos posse, quamdiu feminae gravidae eant, ita ut, si feminae menstruationis typum accurate cognoverimus, certitudine aliqua statuere possimus, quando partus eveniat;

IV. Menstruationem minime adesse oportere ad efficiendam mulierum graviditatem, sed postquam mulieres saepius pepererunt, regularem apparere posse;

V. Menstruationem irregularem graviditate peracta saepissime regularem fieri;

VI. Mulieri et pariendi et foetum gerendi incertum temporis spatium statum esse.

---

1) Philos. Transact. vol. CVII. pag. 258.

PARS TERTIA.

Si igitur, ut satis constat, partus ex menstruationis typo dependet, notiones partus praematuri, maturi aut serotini, aliam, quam consueti eramus, significationem habeant necesse est. Partus maturus is igitur nominandus est, qui decima; partus praematurus, qui nona aut priore; partus serotinus autem, qui undecima aut posteriore menstruatione editur. Sicuti vero mensium periodos in aliis mulieribus aliud vel longius vel brevius temporis spatium durare invenimus, ita graviditas, sive matura sive serotina est, huic tempori inserviens, aliud vel longius vel brevius tempus complectatur necesse est. Quum saepissime acciderit, ut dubia puerorum maturitas per se, aut quod ad vitalitatem, quae inde dependet, attinet, occasionem daret, rem ad iudices ferendi, legislatores, ut haec praecaverent, et iurisdictioni praeceptum firmum constansque darent, nodum, quem medici antiquis temporibus, quamquam harum rerum periti, tamen solvere non potuerunt, conciderunt. Hanc igitur ob causam tempus graviditatis aut vitae foetus statuerunt, ex quo maturitas et vitalitas foetus praematuri concludendae essent.

Ius Romanum, Hippocratis auctoritatem sequens, agnoscendis comprobandisque partubus vitalibus et praematuris centum octoginta duorum dierum terminum statuit. Omnis centesimo octogesimo secundo die post

nuptias celebratas aut cohabitationem confessam foetus in lucem editus isque vivus, vitalis habendus est. Eodem modo omnis foetus vitalis et vivere pergens, si inter diem centesimum octogesimum primum et ante decimum mensem finitum ex certo coitu natus est, ex hoc coitu procreatus habetur. Hae constitutiones tum adhibentur, si agitur, num puer legitimus sit et hereditatem adire ei liceat. Si mulier die centesimo octogesimo secundo post nuptias celebratas foetum edit, puerum legitimum habendum esse ius Romanum decernit. Legimus in „digestis" L. I. Tit. V. L. XII. Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis et ideo credendum est, eo, qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse." Digest. L. XXXVIII. tit. XVI. L. III. §. 11. 12. „De eo autem qui centesimo octogesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, et divus Pius pontificibus rescripsit, iusto tempore videri natum, nec videri in servitutem conceptum, cum mater ipsius ante centesimum octogesimum secundum diem esset manumissa. Code Napolèon cum iure Romano consentit. Statuit enim ita (art. 312): L'enfant conçu pendant le mariage a pour père le mari. Néanmoins celui-ci pourra dèsavouer l'enfant, s'il prouve que, pendant le temps qui a couru depuis le troiscentième jusqu'au cent-quatre-vingtième jour avant la naissance de cet enfant, il était, soit par cause d'èloignement, soit par l'effet de quelque accident, dans l'impossibilité physique de cohabiter avec sa femme." Ius Borussicum foetum usque ad tricesimum secundum diem post mortem mariti in lucem editum legitimum declarat. Ius Bavariae statuit, infantem legitimum habendum esse, si partus inter diem ducentesimum octogesimum quintum post coitum exercitum secutus sit. Lex anglica de partu

serotino iubet, viros artis medicinae peritos arbitrium dare, ad quam legem ius Austriacum maxime accedit. Statuit enim „Allgem. Bürgerl. Gesetzbuch Thl. III. §. 135“ pueros inter septimum mensem solarem et decimum connubio inito a matre partos, legitimos habendos esse. De pueris, qui decimo mense solari praeterito nascuntur, viros artis medicae peritos consulendos esse. Quum igitur partus initium ex menstruationis typo dependeat, et quod ad partus praematuros aut serotinos attinet, commutatio accidat necesse sit, leges in posterum diem certum statuere non possunt, sed priusquam iudex iudicium exerceat, medicus peritus ac religiosus rem exploret disceptetque oportet. Foetus igitur, in cuius matre menstruatio die vicesimo sexto apparuit, et qui die ducentesimo sexagesimo in lucem editus est, non minus vitalis et maturus habendus erit, quam alius, in cuius matre menses die tricesimo apparuere et die trecentesimo natus est, neque foetus ille partus praematurus, neque hic serotinus est, quum uterque in decima mensium periodo natus sit.

Constat graviditatem uterinam re vera existere, quae normale temporis spatium excedat, quamquam id multi iam medici, imprimisque medici forenses credere nolunt, quum, quae natura nobis ante oculos ponit, non observent, sed ea, quae gravidae referunt, mendacia putent. Nimirum parientium indiciis non semper credendum est, sed non raro observationes partuum serotinorum factae sunt, quae matrimonio legitime inito et omni coniugum consensu acciderunt, quaequae non modo non centent iones iuridicas, sed ne suspicionem quidem movere possunt: immo vero etiam omni fide dignae sunt maximique momenti ad probandum. Inter hasce observationes primum obtinere locum merito eae videntur, quas medici in

suis uxoribus instituerunt. Graviditas prolongata, quod ad tempus attinet, diversissima apparet, et ex eo dependet, utrum foetus in utero, an extra uterum sit. In casu primo graviditas, quod permulti scriptores observarunt, unum vel tres menses lunares ultra legitimum hebdomadum numerum transire et in casu altero per plures annos manere potest, et quamquam foetus demortuus in obdomine adest, gravida tamen optima valetudine frui et aetatem provectam assequi potest. Est res maximi momenti medico ostetricio et scire et credere, esse graviditates, etiamsi perraras, quae plures hebdomades super tempus legitimum excedunt et in quibus medicus obstetricius agere coactus est, nisi et mater et foetus medici ignorantia opinioneque praeiudicata perdantur. Quod ad partus serotini signa attinet, haec tam perspicua sunt, ut medicum, qui modice tantum in sua arte sese exercuit, fallere nequeant. Signa, quae non ex fallacibus viduarum indiciis et extra matrimonium gravidatarum originem ducunt, sed apud honestissimos matrimonio inter sese iunctos eorumque in statubus morbosis inveniuntur, haec sunt: Gravidae omnes, nihil refert, num foetum vivum aut demortuum in utero ferant, sub hebdomadem graviditatis quadragesimam contractiones uteri animadvertunt, quae a muliere praegnante plus minusve sentiuntur, interdum autem sine omni sensu praeterire possunt. Quae contractiones si adaugentur, os uteri sensim sensimque dilatant foetumque expellunt. Sunt autem causae quum internae tum externae, quae has contractiones debilitant ita ut partim dilatatio oris uteri sufficiens non sequatur, partim hae contractiones ed foetum in lucem edendum non satis validae sint. Ex his igitur contractionibus debilibus facile partus mora oriri potest, quae foetum tres aut quatuor hebdomades supra tempus legitimum in

utero retinet. Quodsi mora partus per plures hebdomades durat, magna uteri debilitas adest, ex qua diversissima morbi symptomata oriri possunt.

Uterum gravidis multas magnasque molestias afferre videmus, quum celerrime volumine adaugeatur, quia hydrops ovi adsit. Tum utero gravescente vasa pelvis lymphatica premi possunt, ita ut pedes et genitalia tumefiant et oedemate crescant. De re utraque exempla invenimus apud F. B. Osiander [1]).

Uteri contractiones vel dolores, naturaeve labores ad foetum expellendum in dies redeunt, interdum sine typo, interdum autem certo periodo, ita ut quotidie hora definita appareant aut dolores per plures dies intermittant et tum redeant. Hi dolores semper imperfecti sunt et interdum a gravida non sentiuntur. Hanc ob rem os uteri eundem fere ambitum conservat, qui iam ab initio aderat, quum primi dolores apparerent, et hoc modo per quatuor aut quinque hebdomades latitudine duorum tantum digitorum apertum esse potest. Liquor amnii interdum longum per tempus ante partum defluxit et denuo coacervatus est, aut liquoris accumulatio mirum in modum accrevit. Idem apud vaccas saepissime accidere videmus, quae idem fere graviditatis tempus, quod in homine est, habent et pariunt interdum tres aut quatuor hebdomades post hebdomadem quadragesimam, quod agricolis notissimum est, neque dubium in hac observatione ponendum est, quum in iis saepe vaccis accidat, quae stabulum nunquam egrediuntur, quarumque terminus graviditatis incipientis accuratissime observatus est.

Si haec igitur signa invenimus, graviditatis tempus

1) Handbuch der Entbindungskunst. Tübingen 1819. Th. I S. 345 etc.

prolongatum esse credere nobis licet. Causa prolationis graviditatis plerumque magna uteri debilitas est, quae partim ex moerore, sollicitudine, ira, terrore, partim ex oligaemia aut morbis inter graviditatem aut nimio uteri ambitu, veluti in edendis geminis, qui debilitatem reliquit, quae nondum sanata fuit, antequam denuo gravidata est mulier, originem ducit.

Ex his igitur elucet, partus serotinos accidere posse, sed existimandum est, tales partus serotinos rarius evenire, quam gravidae referunt, quum saepissime ad earum peccata obtegenda adhibeantur.

VITA.

Natus sum Eberhardus Peters Bonnae, die VI. mensis Maii anno MDCCCXXIV, patre Gerhardo Peters et matre Anna Maria, e gente Dick, quos pio animo vivos iam veneror. Fidem confiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium Bonnense, quod tunc tempore directore Biedermann floruit, frequentavi. Inde cum maturitatis testimonio dimissus, et anno MDCCCXLV die XXIII mensis Octobris a cl. Deiters, rectore t. t. Magnifico inter cives academicos receptus, nomen apud H. Kilian, t. t. Decanum spectatissimum medicorum ordinis professus sum.

Praeceptores, qui per decem semestria diversarum disciplinarum mihi duces exstitere, hi sunt: Ill. Treviranus, Goldfuss, Noeggerath, G. Bischof, Schopen, v. Calker, Mayer, Weber, Pluecker, Naumann, Schaaffhausen, Albers, Nasse, Wutzer, Kilian, E. Bischoff, Harless, Hoppe, Eulenberg.

Quibus viris omnibus maxime de me meritis gratias ago, atque in posterum pium gratumque animum servabo.

T H E S E S.

1) *Non sunt remedia interna abortus.*
2) *Aneurisma verum sola interdum naturae vi sanari potest.*
3) *In primiparis partus arte praematurus non instituendus.*
4) *Non senectus, sed morbus occidit.*
5) *Febris hectica amputationem non impedit.*
6) *Non sunt certa signa mortis, nisi putror.*
7) *Perforatio foetus vivi nullo pacto probanda.*
8) *Religio medici scientiae eius praestat.*